
Acetum. *Essig.*

Acetum crudum parari potest ex quovis liquore vinoso, fermentationi acetosae subiecto. Sit sincerum, gustu et odore gratum et tantae aciditatis, ut Unciae duae sufficiant ad Kali carbonici Drachmam perfecte saturandam. Adulteratio aceti, acido sulphurico effecta, detegitur, si adiecta baryta muriatica progignit barytam sulphuricam, in acido nitrico diluto haud solubilem.

Adeps suilla. *Schweineschmalz.*

Sus Scrofa *).

Pinguedo abdominalis recens, odoris plane expers.

Aerugo. *Viride aeris. Grünspan.*

Cuprum aceticum, cupro carbonico mixtum, e viridi caerulescens. Praestat praeparatum in officinis Montepessulanis.

*) Nomina animalium et vegetabilium, auctoris nomine non consignata, in Systemate Linnaeano jam recepta sunt.

Aloë lucida. *Glänzende Aloe.*

Aloë spicata. Frutex succulentus utriusque Indiae et Africae meridionalis.

Succus foliorum inspissatus, ex India orientali allatus, et quidem optima Aloës sic dictae Socotrinae species. Sit splendens, pellucida, coloris fuscii, sub tritura crocei, saporis amaro-nauseosi et odoris submyrrhini.

Alumen crudum. *Alaun.*

Sal triplex acidulum octaëdricum, compositum ex Alumina, Kali et Acido sulphurico. Album sit atque subpellucidum, et ferro non inquinatum. Paratur nobis ex minera Freienwaldensi.

Ambra grisea. *Grauer Ambra.*

Concrementum ex nigro-cinereum, mari innatans, praesertim Africam et Asiam meridionalem alluenti. Ambra optima levis est; digitis fricata mox mollescit, et tamen acui candefactae non adhaeret. Fluit leni calore instar olei; accensa spumescit et gratum edit odorem. In spiritu vini fere omnis solvitur.

Ammoniacum, vulgo Gummi ammoniacum. *Ammoniak-Gummi.*

Planta adhuc ignota, forsitan umbellifera.

Gummi-resina tenax, digitis agitata mollescens, odore ingrato et sapore amaro nauseoso praedita. Prostat, vel in granis angulatis variae magnitudinis, intus albidis atque inter se plerumque conglutinatis, vel in massis rotundis; tum granula albida sub-

stantiae molliori fuscae immixta sunt. Advehitur ex Abyssinia, Libya, Aegypto meridionali, et praesertim ex deserto Barca.

Ammonium muriaticum. f. Sal Ammoniacum. *Salmiak.*

Sal Ammoniacum crudum in Aegypto ex fuligine stercoreum exustorum sublimatur; in variis autem Europae regionibus ex partibus constitutivis sibi invicem diversimode iunctis parari solet.

Amygdalae. *Mandeln.*

Amygdalus communis. *Arbor Europae meridionalis.*

Amygdalae amarae. *Bittere Mandeln.* Semina subamara, varietatis cujusdam, amygdali communis fructu minore.

Amygdalae dulces. *Süfse Mandeln.* Semina amygdali communis fructu maiore, sapore grato et dulci praedita.

Amygdalae rancidae sapore et maculis flavis intus conspicuis innotescunt.

Amylum. *Kraftmehl.*

Triticum hybernum et Triticum turgidum. *Plantae biennes cultae.*

Pulvis subtilissimus seminum, post elutionem principii glutinosi et saccharini per aquam frigidam, subsidens.

Argentum. *Silber.*

Metallum album, ductile, via sicca oxygenium respuens, in acido nitrico solubile, oxydatum cum acido muriatico connubium indissolubile contrahens.

Arsenicum album. *Weisser Arsenik.*

Arsenicum oxydatum sublimando paratum massam refert scoriformem, compactam, albam, recens subpellucidam, tempore opacam. In igne fumi albi instar avolat, odorem alliaceum spargens.

Asa foetida. *Stinkender Asand. §. 2.*
Ferula Asa foetida. Planta perennis Persiae.

Gummi-resina tenax, vel ex flavo fusca, vel ex fusco rosea. Immixta sunt nonnunquam granula subdiaphana. Sapor ex acri amaricans est, odor autem maxime nauseosus, odori alliaceo affinis. Lactis instar ex radice transversim secta effluit in superficie sauciata.

Asphaltum f. Bitumen judaicum. *Judenpech. Schlackiges Erdpech.*

Bitumen solidum ex fusco nigrum, friabile atque in fractura nitens. *Optimum* est, quod mari mortuo, mari rubro. et aliis quibusdam Asiae meridionalis et Europae lacubus asphalticis innatat. *Vulgare* in fodinis Galliae aliarumque Europae provinciarum occurrit.

Baccae Berberidis. *Berberis-Beeren. §. 1.*
Berberis vulgaris. Frutex Germaniae.

Baccae oblongae, rubrae, peracidiae.